

aut ostentationem, aut eruditionis gloriolam aucupari voluisse. Multum enim abest, quin hoc congerendi et compilandi studium aut eruditum, aut elegans putemus. Quin potius saepissime mirati sumus summam illorum patientiam, qui sine taedio tot compendiosa, systemata, dissertatiunculas euoluere possunt, ut in quavis re, cuilibet notissima, habeant, quorum nomina adscribant. Quare ne nimium his immoremur, adcedamus potius ad id, cuius causa haec omnis, qualiscunque est, disputatio a nobis suscepta est. Sequitur autem, quod erat propositum, ut iam exponamus rationem, qua nos putamus recte sequestri notionem finiri posse. Placet autem ante pauca de grammatica huius vocis consideratione praemittere, quam ipsam eius curatiorem finitionem explicemus.

§. III.

DE VOCIS SEQUESTRI ORIGINE.

VIDETUR autem duplex potissimum hoc loco proponenda grammatica huius vocis contemplatio. Prima enim de origine eiusdem, de varia eius significatione altera erit circumscriptio; utraque ea nec inutilis ad id, quod quaerimus, indagandum, nec ideo a proposito nostro aliena est, nec denique, ut puto, iniucunda. Primum, quod nobis sumsumus, spectat ad id genus, quod *notationem* CICERO ^{a)} adpellat, quia sunt verba rerum notae, quam *eam* dicit, *quum ex vi nominis argumentum ducitur, quam Graeci* *ἔτυμολογίαν* *vocant, id est, verbum ex verbo, veriloquium.* Pertinere autem haec vocis indagatio in primis mihi videtur ad definiendi studium, quod mirum in modum hac arte iuuatur. Quam ob rem

QVIN-

a) in *Topicis* c. 8. f. 35.